



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 89. Torgaviense Lutheranorum conventiculum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A. C. 1576.

præmio conferantur: ad hæc cum Antonius Vivierus Parisiensis Ecclesiæ Canonicus, atque Universitatis Cancellarius quereretur, quod quidam Parisinæ Facultatis Theologicæ Licentiati honorarium, quod sibi deberi ajebat, solve-
re renuerent, hinc Senatus die vigesima quarta Mensis Novembris hanc in rem edito decreto Rectoris jura tuebatur, eique præfata asserebat honoraria, simulque præcipiebat, ut pro cuiuslibet Facultatis licentia media unius aurei pars eidem solveretur, ipsis nequidem Religiosis Mendicantibus exceptis. Idem quoque Cancellarius alio libello supplici die tertia ejusdem Mensis porrecto petebat, ut in omnibus congressibus, supplicationibus, publicisque functionibus in præfata Universitate celebrandis ipse ceteros præcedat, ac honoratiorem a Rectore locum obtineat; postremum tamen hunc articulum Senatus indecisum reliquit.

§. LXXXIX.

Torgaviense Lutheranorum conventiculum.

[nterea assiduæ dissensiones inter Germaniæ Lutheranos fervebant, quæ propter Saxonix Elector rursus ad componenda eorum dissidia hoc anno

Hospin. ad hunc annum.

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Torgavii conventum celebrare cogebatur: equidem hoc conventiculum confluentium numero erat celebre, cum Germaniæ Protestantes ex quolibet Germaniæ angulo concurrerent, exceptis tamen Zwinglianis, & Calvinistis, qui ab hoc congressu excluderentur. Ceterum hæretici ibidem congregati tanquam fidei suæ normam respiciebant Cnfeffionem Augustanam, ejusdemque apologiam, atque articulos Smalcaldicos, necnon majorem, & minorem Lutheri catechismum, novamque concordiæ formulam: porro locos communes Melanchtonis, aliosque libros rejiciebant: ex illis vero novam consarcinabant fidei confessionem, quam ad Ludovicum Electorem Palatinum, ejusque Fratres, necnon Hassiæ Landgravium illius, qui tanto tempore Lutheranos cum Zwinglianis componere irrito conatu laboraverat, Filium transmittabant: ast hæc ipsa fidei forma suadentibus eorum Theologis ab hisce Principibus, imo ab ipsis Holsteiniis, & Brunswici Ducibus fuit rejecta, etiam eorundem Theologorum censuris ad Saxoniam Electorem transmissis, quapropter Schmidelinus, Chytræus, Kemnitius, aliique Torgavensem hanc formu-

mulam rursus corrigere cogebantur (*), *Sæcul. XVI.*
 aliamque Bergæ procudebant, in qua *A.C. 1576.*
 declararunt, quod Corpus, & Sanguis
 Christi vere, ac substantialiter præfens
 sit, atque in Cœna unacum pane, &
 vino distribuatur, & æque ab impiis,
 quam probis recipiatur.

§. XC.

*Ubiquitas humanitatis Christi Domini
 a Lutheranis explicata.*

In eadem hac formula dogma huma- *Bossuet var.*
 nitatis Christi Domini ubi- *tom. 1. p. 483.*
 quitatem concernens explicatur, atque propug- *Et 491. Et*
 natur in eo tamen sensu, ut nunc, *t. 2. passim.*
 cum natura humana post suam resur-
 rectionem exaltata sit, & Christus Do-
 minus formam servi exuens formam Dei
 rursus induerit, ubique non modo tan-
 quam Deus, sed etiam quatenus homo
 præfens existat, non quidem re ipsa modo
 terrestri, sed quatenus ex eo, quod virtus
 Dei totum orbem replens realiter hu-
 manitati Christi Domini communicata
 sit, realiter etiam & vere in Cœna præ-
 fens adesse possit, cum tamen id a nul-

Cc 3 lo

(*) Ita nempe ad varium Principum ge-
 nium Protestantica fides singulis anuis novam
 induit faciem, uti Bacchanaliorum tempore
 variis larvis nova spectacula hominibus exhi-
 beri solent.